

fu perado, in tumulum Judicis Cenezei illatus jacuerit. Iste Cenezæus Judex facile Othonielem Judicem Israelis, Cenezæum origine, designat (g); qui tamen è Tribu Juda, natus facile sepulturae in

regione sua mandatus est; quare communem cum Jona sepulchrum obtinere potuisse vix credimus. De reliquijs & cultu Jonæ consulas Vitas Sanctorum V. T. D. Baillet ad 21. Septembris.

# IN MICHÆAM PROLEGOMENON.

**M**ichæas è Tribu Juda, è Morathi modico vico ad Eleuteropolim in plaga meridionali Jerusalem oriundus, munus exercuit sub Regibus Juda Joathan, Achaz, & Ezechia, 50. circiter annorum spatio. Hunc aliqui præposterè confundunt (a) cum Michæa filio Jemla, Prophetâ sub Achab Rege Israel (b), cujus nulla scripta suppetunt. Pseudo-Epiphanius, ceterique ejus fidem sequuti, è Tribu Ephraim, & vico Marathi accersunt: sed quis locus Marathi in Tribu Ephraim? Legimus quidem Josue 15. 59. Mareth, sed in Tribu Juda; & Marefa, Maressa, Marisa, Morathi ad eandem Tribum spectabant. Quare Authores illos confudisse Marefam cum Maratha facile credimus. Neque inviti suspicaremur, Morathi, Marefam, Marissam, Marefam unum eundemque vicum ad Eleuteropolim designasse [c]. Chaldeus habet Marefam pro Morathi (d); quæ duo nomina ex eadem radice deducta unum idemque significant (e). Pseudo-Dorotheus testatur, Prophetam sepulture datum in Polyandro Enakim, nempe in Coemeterio Enacim: quod in eam nos sententiam adducit, ut Marathi in Tribu Juda ad Eleuteropolim, non secus ac Marefam & Morathi, constituamus. Nunquam enim Enacim in Tribu Ephraim sedem habuerunt, sed in montibus Juda, in urbe Ebron locisque subiectis.

Oracula dedit Michæas aequè in duo Regna Sumariæ & Juda. Suppar fuit Isaia, quamvis in Prophetiæ munere tempore inferior. Legimus apud illum ingens fragmentum ex Isaia (f) deductum. Primò autem ætatis Samariæ à Salmanasare captæ, atque in acervum lapidum redactæ occupatur (g). Deinde obversis in Judam oculis, adventum Sennacherib, inferendaque ab ipso in Judæam mala non obscure minuitur (h). Dein iterum ad Regnum Israel, cujus regnantem passim licentiam corripit, adjecit de imminente captivitate minis; ac inde orationem cogit post factas de solvenda demum captivitate promissiones (i).

Novum sermonem cap. 3. ineunte exorsus, Judicibus & Pseudo-Prophetis Jacob crudelitatem & avaritiam exprobrat: pa-

ribus etiam in Principes Israel invehens, id tandem committendum dicit, ut Sion quasi ager exaretur, & Jerusalem in acervum lapidum, ac tandem mons Templi in excelsa sylvarum redigatur.

Oraculum illud rerum potente Ezechia à Propheta editum, Jeremiâ 26. 18. docente intelligimus. Ipse enim Jeremias eo vaticinio opportunè usus est; ostendens enim, paria ac Michæas in Jerusalem se pronunciasse, ab imminente sub Joachimo letho sese liberavit (k).

Post tristitia in Judæam oracula, ad lætiora conversus Propheta, felicem aded statum prædicit, ut facile legentibus innotescat aliud spectare virum, quam tempora post captivitatem Babylonicam. Erat illi præ oculis Messia Regnum & Ecclesiæ constitutio (l). Cum tamen tot felicitatum cursus brevi quadam calamitate intercipiendus esset, ita rem totam exposuit, ut brevius complexus videatur, quæ de bello Gog in Sanctos fusijs Ezechiel profequitur. Vide Ezech. c. 38. & 39. Pristina deinde studia resumens, oriturum dicit in Bethleem Principem super omnem latè Israel regnaturum (m), cujus futura esset coæva eternitati generatio. Ejus politiam omnem & Regnum inter utraque mundi extremitates definitum profequitur. Suscittandos à Deo pandit septem Pastores vel octo Principes, qui regionem Assur & terram Nemrod iure armorum sibi vindicabunt; quod nos de Dario Hytaspis ac septem conjuratis, Magorum occisione, Imperium Perfarum post extinctam Cyni familiam invadentibus dictum intelligimus. Tum ad Hebræos conversus Propheta, florentem eorum statum post Regnum Darii & post Macchabaos describit; plura identidem adjungens ad Ecclesiam Christi unice pertinentia.

Capita 6. & 7. tertiam & postremam orationem, seu potius prolixam contra iniquitates Samariæ querelam continent (†). Excurrit deinde ad everfionem & mala Babylonis (n), restitutionem Urbium Israel, Regni illius amplitudinem, incolarum felicitatem, uti & obtinenda à Deo beneficia; eo artificio singula profequutus, ut futuram simul Israelis, simul Ecclesiæ felicitatem designet, hanc re & cumulatam, illam verò specie tantum & imperfectam. Tempus & genus mortis aequè latent. Pseu-

q Judic. 8. 9. 10.

a Aban. in Synops. Pseudo-Epiph. Pseudo-Dorotheus. Euseb. Chron. Alex. xant. Sozomen. lib. 7. c. 29. b 3. Reg. 22. 8. &c.

c Ita sentiunt Vatablus, Montanus, Isidorus, Masius in Josue 15. d Chald. in Mich. 1. 1. e Vide Mich. 1. 14. 15.

f Confer Mich. 4. 1. 1f. 2. 2. & 1f. 4. 15. cum Mich. 4. 13. g Mich. 1. 6. 7. h Mich. 1. 9. 13. 14. 15.

i Mich. cap. 2. per totum.

k Jerem. Ibid. ver. 6. &c.

l Cap. 4. usque ad ver. 11.

m Mich. 5. 2. &c.

† Cap. 6. totum & cap. 7. 1. 7. n Cap. 7. 8. 10.

Pseudo-Epiphanius, & aliqui ex Græcis fidei nihilo certioris, dejectum narrant, mandante Joram filio Achabi, ejus in dicendo carpendoque Regis scelera libertate offenso. Addunt illi, sepulturae mandatum in coemeterio, sive juxta coemeterium Marathi patriæ suæ. S. Hieronymus Epist. 27. seu Epitaph. Paulæ, sepulchrum ejus Morathi spectari testatur; & Sozomenus lib. 7. cap. 29. tradit, viri Sancti corpus divinitus revelatum fuisse Zebennio Episcopo Eleuteropolitano sub Theodosio Magno,

eoque indicio inventum in loco, cui nomen Beretsate, quod facile corruptione quadam ex Morathi formatum est. Porro locum illum 10. stadiis ab Eleuteropoli situm dicit. S. Hieronymo urbs Marefa gemino ab eadem urbe lapide distat, quod ferè in idem recidit.

Stylo uritur brevi, conciso, præcipiti, obscuro, Ofce stylo simillimo; quod autem vivido quodam igne inardescat, & ex uno in aliud subito transvolet, idèd durus est, minusque legentibus pronus.

# IN NAHUM PROLEGOMENON.

**Q**UÆ ad vitam resque à Nahum gestas pertinent, aequè omnia latent. Unum hoc tradit Scriptura (a), nimirum ex Elcesai originem duxisse; quamquam de nomine quidem, non de re etiam constat. Sunt enim, qui ortum in Begabor & patrem habuisse Elcesai (b) contendant. Verùm S. Hieronymus & Interpretum plerique natum in Elcesai vico Galileæ, cujus vestigia ætate viri sancti supererant, maluerunt. Hujus loci nomen, cum nusquam alibi in Sacra Scriptura, nec apud Josephum legatur, situm habet incertum; nec magis constat de Begabor. Alii (c) constitunt ad Emmaus, duabus vel tribus leucis à Jerusalem, ubi olim sepulchrum Nahum in vico Betogabra, hodie Giblin, juxta Emmaus monstrabatur. Verùm Pseudo-Epiphanius in Vitis Prophetarum, Begabaran in Transjordana rejicit; ex quo facilis conjectura, indicasse illum Bethabaram, in eadem regione satis proximè ad amnem sitam (d). Sæpius litera bain pronunciat, ut G; ita è Bethabara factum Bethogabra. Sed negotium facit idem Author, è Tribu Simeon virum accersens; Bethabara enim nimis longè à regione ejusdem Tribus distabat; nec Elcesai minus aberat. Verùm qui natum in Elcesai Prophetam constituunt, nihil de Tribu designant. Chaldeus pro Elcesai habet Beth-kess, & Tagim Beth-kossi. Nihilo tamen ex ea re doctores efficiuntur; cum aequè omnia loca ista lateant. Ferunt in pace diem clausisse, atque in Begabara patriæ suæ sepulturae mandatum.

a Nahum 1. 1.

b Quidam apud Hieron. Pseudo-Epiphanius.

c Vide Quares. t. 1. pag. 306.

d Vide Hieron. in loc. Pseudo-Isid. Vit. Proph. appellat Bethafarim, seu Bethabaram; & Chronicon Paschale Bethabaram.

mento. Vix credo similes ingenii igniculos apud prophanos, neque majorem in descriptionibus sive magnificentiam sive pompam occurrere. Quo tempore Prophetam egerit, non satis inter Scriptores convenit. Captivitatem Ninive ante centum, quindecim ab eventu annos prædixisse illum, Josephus Historicus (e) testatur; quo ad Regnum Achaz Regis Juda deducitur; quamquam ipse vetustiore etiam, nempe sub Joathan constituit. Judæi (f) sub Manasse malunt. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. inter Danielelem & Ezechielem, præmente scilicet captivitate; nos cum S. Hieronymo everfionem Ninive sub Ezechia, post expeditionem Sennacherib in Ægyptum & Judæam, vaticinatum constitutum. Non obscure captam No-Ammon (g), Urbem Ægypti exprimit, quam à Sennacheribo ante bellum in Ezechiam, domitam scimus. Minas pariter audaciores Rabfacis (h), & violentum Sennacheribi consilium, atque sumptam de illo ultionem (i) veluti res jam præteritas commemorat. Innuit etiam dispersionem & captivitatem Israelitarum (k). De Juda sic agit, quasi in regione sua versans, statuta per annum solemnia celebraret (l). His omnibus inducimur ad constituendum Virum ante annum 15. Ezechia. Ninive captivitatem ab eo prædictam alteram plane fuisse oportet à prima sub Sardanapalo (m) diu ante Sennacheribum. Altera proinde designanda erit sub Nabopolassare, patre Nabuchodonosoris Magni, & sub Astyage patre Cyri, quæ componitur cum anno Per. Jul. 4088. & A. M. juxta Uffensium 3378. nempe cum anno 16. Josia Regis Juda, in quem Ninive everfionem S. Hieronymus Præf. in Jon. consignat. Hanc urbem Tobias cap. 14. in Græco 16. captam à Nabuchodonosore & Assuero dicit; quæ duo nomina pro Nabopolassare & Astyage usurpantur.

e Antiq. lib. 9. cap. 11.

f Seder Olam & Grot. hic. Vat. Mont. Sixtus Sen. Genebr.

g Cap. 3. 8.

h Nahum 2. 13. i Nahum 2. 11. & 1. 9. 11. 13. 15. k Nahum 2. 2. l Nahum 1. 15.

m An. Per. Jul. 3966.

n Nahum 2. 6. & 1. 8.

Plura hujus obsidionis & singularia ex Nahum discimus; nimirum captam Urbem ex inundantium aquarum eruptione [n],

O o o o 3 clau.

claustris suis pontibus, sive aggeribus dif-  
fectis; moenibus insuper lateritiis eam Ur-  
bem vallatam fuisse. Post extremam illam

desolationem, Urbs perpetuo jacuit; &  
Assyriorum Imperium inter Chaldaeos &  
Medos diuisum concidit.

# IN HABACUC PROLEGOMENON.

**N**atus in Betzac, ac Tribu Si-  
meon, si fides sit Pseudo-  
Epiphonio, Dorothæo aliif-  
que similis fuffuris Scri-  
ptoribus, Habacuc, cum  
gravem instare Urbi Jeru-  
salem Nabuchodonosorem audivit, promptâ  
se fugâ subducens, Ostracinam in Arabia  
ad lacum Sirbonem contendit. Ibi ali-  
quo temporis spatio moratus, postquam  
Chaldaeos eversâ Jerusalem Judæam dese-  
ruisse certior factus est, patriam repetiit,  
quo tempore Judæi, qui Babylonicam ca-  
ptivitatem effugerant, in Ægyptum sese  
conferebant. Agrestem ibi vitam colendis  
agris exercebat; & cum fortè prandium  
Messoribus deferret, accidit, ut subito co-  
mâ capitis apprehensus, & in aerem sublatus,  
Babylonem ad Daniele inter Leones  
clausum transferretur. Cum ex allato tan-  
to miraculo prandio Propheta refectus es-  
set, iterum Habacuc per aeris sublimia  
traductus, Judæam tenuit. Ibi vitæ cut-  
su confecto, biennio ante exitum captivi-  
tatis Babylonicæ in patria sua sepultura  
mandatus est. Plura illi non canonicè autho-  
ritatis vaticinia extra Librum ejus nomi-  
ne scriptum vagantia tribuuntur; ut de  
futura mox Judæorum in Patriam restitu-  
tione; de ingenti quodam lumine gloriâ-  
que Domini in Templo nato quodam tem-  
pore spectandâ ( Jesum Christum innue-  
bat ); de urbe Jerusalem ab occidenta-  
li quodam populo evertendâ ( Romanos in-  
telligit ); tunc autem velum *Dabir* in  
duas partes scindendum; epistylia duarum  
columnarum ab Angelis in deserto quo-  
dam loco occultanda, ibi scilicet ubi pau-  
lò ante captivitatem Tabernaculum soe-  
dis repositum est. Scriptam etiam eidem  
Auctori referunt historiam Susannæ, Be-  
lis, Draconis, sicut & translationis suæ Ba-  
bylonem; quibus omnibus opinionibus ex  
inscriptione in Exemplaribus Græcis appo-  
sitâ fides adstruitur: *Prophetia Habacuc, Sa-  
cerdotis Juda, ex Tribu Levi*. Hunc tamen  
Habacuc alterum alii putant ab Authore  
Operis, de quo modò. Ne verò incertis hi-  
sce & apocryphis immoremur, ex ipso  
ejus Opère res ab eo gestas certamque  
atatem explorabimus.

a Habac. 1. 2.  
3. 4.  
b Ibid. 5. 6.  
10.

presens designant, munus suscepisse Prophe-  
tam ante primum adventum Chaldaeorum  
in Palæstinam, anno tertio Joachim Regis  
Juda; quod maximè cum illorum opinio-  
ne quadrat, qui coævum Jeremia Habacuc,  
& paulò post Iosiam (c) floruisse con-  
stituunt. Victorias etiam Nabuchodonoso-  
ris, ejusque pariter metamorphosim in bo-  
vem, ac tandem obitum prædicit (d).

Cum verò graviter ferret Propheta, Prin-  
cipem quendam infidelem, subjectas sibi  
gentes impotenter & impie habiturum,  
ut ad cultum lignorum & lapidum invi-  
tos illos adigeret, seque verò omnium  
victoriarum suarum Authorem reputatu-  
rum; tot nihilominus scelerum merito præ-  
mio & felicitate donandum (e); Deus pu-  
silliori indulgens, quid deinde Nabucho-  
donosorem post tot felicitatum cursum ma-  
neret, aperuit (f). Quare risui habendum  
ab exteris, insultandum à suis, expoliand-  
um ab iis, quorum ipse pradas legerat,  
demonstravit (g). Quod verò ad Joachim  
spectat, cum scelestissimi etiam Regis fa-  
cra Prophetam affligerent, ait, omnia que  
ab ipso agitantur consilia, frustra univer-  
sa futura (h). Tum in Principem quen-  
dam in sanguine & iniquitate Urbis no-  
væ fundamenta jacentem (Ithobalem Re-  
gem Tyri credimus) invehitur. Eju-  
divitias omnes igne vastandas denunciat (i).  
Instituta post hæc in quartum alium Prin-  
cipem accusatio, reum inducte in amicum  
suum ebretatis, quò probrum ipsius re-  
velaret. Suggillatum hoc Oraculo arbitra-  
mur Regem Ægypti, qui adducto in de-  
fectionem adversus Nabuchodonosorem Se-  
decia, hostium arma in illum provocavit.  
Qua ille ceteros ebrietate affecit hac à  
Deo ipsum afficiendum prænuñciat (k).  
Neque ipsum tantùm, sed omnes etiam  
Idolorum cultores exterminium manere,  
Dominus Vatis ore protestatur (l).

Grandia hæc agitans Propheta, subito  
æstro abreptus (m), Dei ad pietatem fa-  
cili clementiam, qui dum maximè irasci-  
tur, mixtam plurimâ indulgentiâ severi-  
tatem exercet, Cantico prosequitur. Ve-  
tera in Israellem beneficia magnificis lau-  
dibus extollit; fassus solâ tot prodigiorum  
recensione reverentiæ quodam terrore op-  
primi; sperare se tamen addit, tantum  
se in vivis mansurum, ut fratres suos in  
exilio intueatur (n); se tamen cuniculo-  
rum agilitate donandum à Deo fore non  
dubitât, quò Chaldaeorum Judæam vastan-  
tium

c Clemens  
Alexan. 1. 1.  
Strom. p. 92.  
Theodoret.  
Præfat. in  
Habacuc.  
d Habac. 1. 7.  
8. 9. 10. 11.  
12.

e Ibid. ver.  
12. 13. . . 17.

f Habac. 2. 1. 2.  
3. 4.

g Habac. 2. 5.  
6. 7.

h Ibid. 9. 10.  
11.

i Ver. 12. 13.  
14.

k Ver. 15. 16.  
17.

l Ver. 18. 19.

m Habac. 3. 2. . .  
16.

n Ver. 16.

o Ver. 19.

p Dan. 14.

fium manus effugiat (o). Nec sperantem  
fefellit eventus. Quamquam ipse à Chal-  
daeorum furore immunis, cum deinde eo-  
rum metu patria solveretur, agrestem vitam  
exercuit. Ad pascendum Daniele  
Babylone versantem prodigio vehente  
translatus est (p); & vitam usque post sol-  
utam captivitatem, vel saltem biennium  
ante produxisse potuit; namque ab anno  
primo Joachim, quocum initium ejus Pro-  
phetiæ componimus, ad captivitatem us-  
que solutam 70. annorum est intervallum.  
Vide tabulam Chronologicam Danielis.

Ejus sepulchrum non uno olim in loco  
monstrabatur [ q ]; in *Ceila*, *Echela*,  
*Gabata*, in loco 12. ab Eleuteropoli lapi-  
de, ad viam Lidde & *Betzekar*. Sed *Ce-  
la*, vel *Ceila*, aut *Echela* una est, uti fa-  
cile credimus, eademque urbs; constat  
etiam Gabaat & Beth-fecar proximas esse  
*Ceila* & Eleuteropoli; quare sepulchrum  
Habacuc in his locis constitutum idè af-  
firmari potest, quòd in vicinis situm es-  
set. Ejus corpus ibidem inventum regnan-  
te Theodosio Seniore Sozomenus hist. Eccl.  
1. 7. cap. 29. testatur.

q Vide Euseb.  
& Hieron. in  
locis in *Ceila*,  
*Gabaa*, *Echi-  
la*.

# IN SOPHONIAM PROLEGOMENON.

**S**ophonias, filius Chusi, nepos  
Godoliæ, abnepos Amariæ filii  
Ezechiæ à Tribu Simeon, si fi-  
des habeatur Pseudo-Epiphonio  
ceterisque ejus fuffuris, &  
oriundus è monte *Sarabatha*.  
Quis iste locus, silente Scripturâ incertum;  
facile *Saraa* juxta *Esthaol*, in Tribu Si-  
meon, cui nomini adjectum est *Beth*, sive  
*Batha*, Domum vel moram sonans, ut *Sa-  
rabatha*, sit mora *Saraa*. Sed hæc meræ con-  
jecturæ, quemadmodum nihil certius as-  
ferri potest de illo oraculo Sophoniæ ad-  
scripto, quo opportunius fuisse dicitur, si  
Jerusalem in longum & latum porrecta  
conderetur. Solemne etiam Judæorum  
axioma refert S. Hieronymus; nimirum  
nunquam in Scriptura patres vel avos Pro-  
phetarum exprimi, nisi fortè eodem Pro-  
phetiæ dono insigniti fuerint (a); quod  
proinde in causa fuit, cur Chusi, Ama-  
rias, Godolias, & Ezechias avi Sophoniæ  
in censu Prophetarum haberentur. Hæc  
tamen nihilo meliora sunt, quàm quæ ab  
aliis de eodem Propheta ex illustri gene-  
re nato traduntur. His enim fucum fecit  
Ezechiæ nomen inter avos ejusdem viri,  
malè cum Rege cognomine confusum.

a Hieron. Com-  
ment. in So-  
phon. initio.  
Tradunt He-  
brai, cuius-  
cumque Pro-  
pheta pater  
aut avus po-  
natur in titu-  
lo, ipsos quo-  
que Prophetas  
fuisse.  
b 4. Reg. 22. 3.  
10. 12. &c.

gnantem acrioribus verbis reprehendit.  
Aliud etiam ejusdem rei documentum præ-  
sent Oracula de futura Ninive captivitate,  
& imperii Assyrii everfione (c); utrum-  
que enim non citius quàm ad 16. Josiæ  
assignandum, si Nabopolassar in Chaldæos  
regnanti annos 21. cum Berofo tribuamus  
(d). Componendus est igitur Sophonias  
cum initio Josiæ Regno, quo Idololatria  
commune malum tolerabatur.

c Soph. 2. 13.

d Apud Joseph.  
1. 10. Antiq. c.  
2. n. 13.

In primo Operis capite omnes æquè po-  
pulos ultioni cædique à Domino destina-  
tos minis verbisque exagitat; in vectus po-  
tissimum in Judam, & Philisthæos, quos  
designat amaro illo dicitio: *Qui ingre-  
diuntur super limen*. Alterum caput in  
Philisthæos impenditur, quibus Urbes  
evertendas & in potestatem hostium tra-  
dendas, quin & omnes à Judæis jure pro-  
prio occupandas prænuñciat. Eadem pari-  
ter minatur Moabitibus, Ammonitis, Æthio-  
pibusque, alio nomine Chusim, nempe Ara-  
bibus, plagam orientalem versus extremam  
oram Maris rubri tenentibus. Tandem suc-  
cedunt oracula de everfione Assyriorum,  
& Ninive. Tertium caput in duas partes  
distribuitur quarum prima inveftivas &  
minas complectitur; in secunda verò ad  
contraria studia versus Propheta, factâ me-  
lioris status & solvendæ captivitatis pro-  
missione, Judæos solatur; plura tamen iden-  
tidem admisset, non nisi de Ecclesiâ Jesu  
Christi & futuro Christianorum statu ad  
literam intelligenda.